quos mordendo effingit, non dicam gemmas, sed ne similes
quidem gemmis, nisi caecus, duas! An denique illum laude
ob egregiam saltandi peritiam! Laudarem sane si eam vel
speciem laudis prae se ferre animadverterem, quodnam non ani-
malium, quamvis crudele, pestilens, immane omnique
vituperio dignissimum, hac ratione non esset laudibus evehendum,
cum nullum reperire sit, quod non currere, imo et saltare pro
sua facultate queat; praesertim cum nullum artificiosum
et admirandum saltum in pulice observaverim.
Sed ecce aliud quidpiam occurrit, quod laudem
quam hactenus pulici negavi, propemodum concedere
me cogit, at quodnam illud est? dicam iam nuper [illegible];
et rursus dicam: pulex medium medicum integrum, peritissimum agere
novit, qua medendi peritia propemodum aliquam laudem
extorquere videtur: medicum enim esse pulicem indicat ipsius
nomen, a sapientissimis quippe Graecorum Ψύλλος dictus, eo
quod Chirurgorum instar, abundantem ac plus nimio efferves-
centem sanguinem educat: testatur id herba quaedam
nobilissima, quae ab eo pulegii nomen accepit: clamant hoc
medicorum principes Galenus et Hippocrates, qui docent
morbos plerumque e corrupto nimioque effervescente
sanguine ortos, illos e venis eductione curari atque
mederi, at quis ignorat id praestare pulicem? accedit
denique naturae testimonium, quod eo ipso tempore multa
vis pulicum ingruit, quo et hyberna segnitie, et verna
mutatione sanguis tabescit, medicorumque iudicio educendus